CAPUT TERTIUM.

Precariarum leges.

I.

QUi locuples existens usufructuario jure desiderabat prædium (urbanum, sive rusticum) ad Ecclesiæ patrimonium pertinens, is completo spatio, non minus, quàm *alterius tantæ quantitatis, quantæ acceperat, reditus*, cum ipsorum prædiorum dominio, derelinquere debebat. *

*l. 14. §. 5. *C. de Sacros. Eccles.* Quæ quidem Leonina constitutio de solâ Ecclesiâ Constantinopolitanâ loquitur; Sed Justinianus *Nov. 7. cap. 4.* eam ad quælibet loca pia in omni suâ ditione extendit. Non apparet ex lege 14. cit., quòd Usufructuarius *mox* dominii jure debuerit reciproco fundo compensare utilitatem, sed tam Novella 7. quàm Novel. 120. cap. 2. id disertè præcipiunt.

II.

AD normam imperialium legum Jura canonica hanc precariis regulam ordinabant: Si precarista res *propriâs* vicissim datas cum *ecclesiasticis* usufructuariò tenere voluerat, accipiebat *duplos* tantùm *reditus*: si verò res *proprias* nequidem usufructuario retinere paratus erat, dabat ei Ecclesia ex suis bonis *triplos* reditus. *

*Can. 4. X. q. 2. Cujus perpetuam observantiam chartæ Trevirenses unisono stylo collaudant. Videatur *Tom. 1. pag. 301. Ego Syfridus*

 facta

factâ conventione DEDI ad altare S. Petri in urbe Trevirensi legali traditione ex rebus meæ proprietatis jugera 73... ACCEPI autem contra legali traditione ab Advocato &c. sub eâ scilicet ratione, ut utramque, DATUM & ACCEPTUM, ego & conjux mea quietè teneamus, atque possideamus.. Post nostrum verò decessum ad partem & dominationem Domni S. Petri utrumque, datum videlicet & acceptum, redeat, & in ejus deinceps proprietate maneat. Non invenio tamen inter tot formulas illum secundum casum, quo precarista rei suæ donatæ usumfructum etiam mox dimisit Ecclesiæ, in remunerationem recipiens triplos reditus ecclesiasticos: unde verisimile non est, arrisisse hunc alterum modum sive precaristis, sive Ecclesiis; non *illis*, quia grave est, fortunas suas conspicere in manibus alienis: non *his*, quia triplo reditu carere non semper expediebat.

III.

ÆQualitas servabatur *collatâ proprietate cum proprietate, reditu cum reditu,** non ad amussim, sed ad regulam, quod ajunt, Lesbiam, interveniente sæpiùs largitate, seu ex parte Ecclesiæ, seu ex parte precaristæ.

*Non verò computatis reditibus, quos precarista percepit toto spatio precariæ; quoad hoc enim fortunæ erat negotiũ, & res aleæ similis: Si precarista brevi tempore superstes fuerat, pro modico pretio lucrabatur Ecclesia prædium insigne; Si verò precarista vitæ tenax fuisset, subinde caro venit Ecclesiæ fundus. Itaque eatenùs non mensurabatur utilitas Ecclesiæ ex uno contractu singulari, sed universim ex tot contractibus, quorum alii feliciter ceciderunt pro Ecclesiâ, alii minùs feliciter.

IV.

DE CENSU annuo silent Codex & Novellæ, sed apud Alemannos, simul atque obtinuerunt Precariæ, sub censibus constitutas lego.*

*Bea-

*Beatus Rhenanus, seu Bildius Rer. Germ. lib. 2. *Quidam*, inquit, *in illo recenti Christianismo* (sub Clodovæo) *res suas Ecclesiæ donabant, & rursum agros, aut domum in beneficii modum recipiebant ad vitæ suæ tempus, NON TAMEN CITRA PENSITATIONEM.* Quod confirmant Leges Alemannicæ tit. 2. Quanquam nemo dixerit, hoc fuisse universale ac perpetuũ: Inter precarias quippe Trevirenses invenio quasdam pag. 234. 256. 267. 268. 273. 276. 319. 335. 392. *sine censu*, ut adeò censûs adjectio necessitatis haud esset, sed pietatis: quare notatu dignum in iisdem monumentis, quòd illi precaristæ, qui *solius devotionis instinctu*, nullâ vice receptâ, donaverant Ecclesiis bona sua, móxque eadem precario jure possidere pergebant, plerumque promiserint annuum censum.

V.

TEMPUS, quo finienda erat precaria, poterat esse brevius vitâ precaristæ.* Pleræque tamen ad dies vitæ hujus personæ concipiebantur. **

* L. 14. C. sæpè cit. ibi: *Tunc ejus temporis, quod inter utrosque convenerit, sive in diem vitæ suæ.*

** Inter domesticas nostras precarias nulla est ad brevius tempus constituta: Imò neque inveni apud DU FRESNIUM ullam, vita hominis breviorem. Similiter omnes formulæ MARCULFI, SIRMONDICÆ, BIGNIONIANÆ, & LINDENBROGII continent verba: *dum advivo.*

V I.

ULtra vitam precaristæ non durabat, neque egrediebatur personam,* instar ususfructûs Romani, qui extinguitur cum personâ. *§. 3. Inst. de Usufruct.*

* Can. 4. X. q. 2. in verbis: *In suo tantùm quis nomine.* Confer apud Honthemium precariam BERTHÆ pag. 335. *More precario usque*

 ad

terminum suæ solius vitæ possideat. Ut vel inde etiam discrimen appareat inter *precariam*, & *emphyteusin ecclesiasticam*: nam hæc *in perpetuum* concedi potest. *Nov.* 120. *cap.* 6. §. 1. Et *pro hæredibus* concessa, transit ad filios ac nepotes. *Nov.* 7. *cap.* 3.

VII.

EXtant nihilominùs ex specialibus pactis precariæ in favorem uxoris,* & usque ad primam,** ulteriorésque generationes. ***

* Precaria ROTGERI apud Honthemium Tom. 1. pag. 234. MEGINGAUDI pag. 273. UDONIS & GISLÆ pag. 319.

** Precaria RORICI ibid. pag. 257. GOZBERTI. pag. 267. ubi nota, quòd præter filium Bodoni Præposito fuerit post mortem primi precaristæ pacta precaria. BERNACRI pag. 268. WALDRAMI Com. Arlun. pag. 303.

*** Hæ sunt magis exoticæ: De extensione ad quartum, & quintum hæredem testatur DU FRESNE hoc loco pag. 796. ultra quintam generationem ego quidem inveni hactenùs nullam.

VIII.

CÙm verò longinquitate sæpè fiat temporis, ut non pateat conditio originis,* antiqua consuetudo lege firmata jussit, precarias de quinquennio in quinquennium renovari, id est, novas desuper literas conscribi. **

* Conc. Tolet. VI. *relat. in Can.* 64. XII q. 2. Haud rarò enim occasione precariarum imminuta fuêre Ecclesiarum patrimonia, eò quòd præpotentiores precaristæ, eorúmve hæredes fundos Ecclesiæ, quêis semel incubuêre, ægrè dimitterent, ùt benè advertit Honthemius *in addendis ad Tom.* 1. pag. XLII.

** Concilium Belvacense *relat. in Can.* 5. X. q. 2. & *cap.* 1. ✠ h. t. Et hâc ratione differt quoque *precaria* à *feudo*, quod mutatâ Domini, aut Vasalli personâ, nec non ab *emphyteusi*, quæ mutato emphyteutâ, est innovanda.

IX.

IX.

HÆc renovatio erat *solius professionis* per lustra singula iteratio; non verò *contractûs*, quasi exspirâsset ille, *instauratio.* *

* Evidens hoc est ex chartis, precarias nempè, etiam ad quintam usque generationem datas, innovari debuisse singulis quinquenniis: Unde qui Alvaro, Molinæ & aliis hac in parte contradixerunt, absque fundamento locuti sunt, nimiùm creduli Glossæ, supra Cap 2 §. 1, versificanti h. t. cententi, singulis lustris finiri precariam.

X.

HAnc innovationem fuisse sub *pœnâ caducitatis* præceptam, nullibi apparet. Unde, qui à *feudo*, vel *libertinitate ecclesiasticâ non innovatâ* argumentum traducunt ad *precariam*, regulas interpretandi *in pœnalibus* insuper habuerunt. *

* P. SCHMATZGRUEBER h. t. num. 26. P. ENGEL ibid. num 6. secuti PANORMITANUM in cap. 1. h. t. MOLINA non accedit huic opinioni, ùt scribit P. Schmaltzgrueber, sed tantùm dicit, quòd *hic contractus soleat fieri cum clausulâ expressâ* (ad quid autem hâc opus, si lex caducitatem inducit?) *ut accipiens de quinquennio in quinquennium teneatur innovare, alioquin amittat precariam.* Quam quidem clausulam in formulis, quas perlustravi, plurimis non reperi: benè verò *in Honthemianis Tom. 1. pag.* 131. & 141. aliam istam: *Hanc verò precariam non sit necesse de quinquennio in quinquennium renovare, sed ista sola per se sufficiat.* Quæ clausula non fuit adjecta tam favore precaristæ, quàm bono Ecclesiæ, ut videlicet charta hujusmodi, etiamsi foret antiquior quinquennio, nihilominùs contra scribentem probaret.

XI.

XI.

DEnique contractus precariæ, plerumque vallabatur adjectione POENÆ contra eum, qui temerare illum attentaret. *

* Plurimæ precariæ Trevirenses: vid. pag. 275. ubi: *Quisquis hanc precariam infringere voluerit, decem pondera auri persolvere cogatur.* Similes clausulæ pœnales supponuntur in *cap.* 2. ii h. t. Ex quibus etiam apparet, revocari non potuisse ad lubitum concedentis *precariam* instar *precarii.* Cap. 3. in fin. eod.

XII.

ATque hæc sunt, quæ tempore arctatus ex juribus & chartis de hoc argumento duxi congerenda. Si conatus successit, fontem corona mecum, Benevole Lector, ex quo hausi ideas istas; sin minùs, cogita, situlis pertusis ex fonte etiam optimo infeliciter hauriri aquam.

I. O. H. D.

COROLLARIA.

EX JURE NATURALI.

I.

SAlutem nostram per necem alterius innocentis expedire nefas est:

II. Hinc nequit detentus in carcere occidere custodes, ut evadat manus lictoris:

III. Nec telo impetitus ab hoste opponere puerum scuti loco.

IV. Nec jussus occidere innocentem sub pœnâ mortis, parere jussis.

V. Nec puella gravida procurare abortum, ne occidatur ipsa.

EX JURE CANONICO.

I.

MAtrimonium est maris & fœminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens. Cap. 11. de præsumpt.